



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

IX. Commendatio Domini Papæ pro Ottone.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

stante & consentiente & quod nulli à Romano Pontifice consecrato nostris temporibus contigit, sine obligatione alicuius iuramenti consecratus sum. Huius loci, huius diei, huius gratiæ misericordiæ Dei semper memores esse debemus, vt vos memores esse velitis cum gratiarum actione, obnixè precamur; præcipue cum aliâ quam plures venerandæ personæ de magnis rebus ad Apostolicam sedem agentes infecto negotio redierunt. Valet.

COMMENDATIO DOMINI
Papa pro Ottone.



POSTOLICVS vero has commenda-
cias literas Ecclesiæ scripsit, pro dilectione Ot-
tonis Episcopi.

IX.

PASCHALIS Episcopus, seruus seruorum Dei Clero & populo Babenbergensi salutem & Apostolicam benedictionem.

Quantæ affectionis debitæ Babenbergensis Ecclesia ab ipso suo constitutionis primordio, sedi Apostolicæ constringatur, & si nos lateret, literarum vestrarum significatio manifestat. Quod affectionis debitum, venerabilis frater OTTO, vestræ Ecclesiæ electus, non instanter tenuisse ac tenere cognoscitur, cum per tot & tanta pericula ad Apostolicæ sedis visitationem percurrat. Nos igitur eum debitæ benignitatis affectione suscepimus, & iuxta vestræ dilectionis desiderium, nostris tamquam Beati PETRI manibus, saluo Metropolitanæ iure vobis per Dei gratiam Præsulem ordinauimus. Hunc igitur sub præsentium literarum prosecutione ad Ecclesiæ vestræ regimen remittentes, plena hortamur affectione diligi, plena humilitate venerari.

nerari. Confidimus enim eum disciplinæ Ecclesiasticæ futurum esse custodem, & salutis vestræ sollicitum prouisorem. Huic ergo sedulis officijs obedite, & gratiam vobis in eo conciliate cœlestem. Integritatem Catholicæ fidei firmam semper in omnibus conseruate, sedi Apostolicæ semper deuotius adhærete, vt per eius consortium à contagijs omnibus liberi, ad æternæ salutis portum fœliciter peruenire, domino largiente, mereamur.

Cunctis ergo diebus, quocunque statu Ecclesiæ, Apostolicæ sedi constanter ac fideliter adhæsit OTTO Episcopus, adeo vt in illa dolenda excommunicatione Imperatoris Haintici iunioris, toto tempore schismatis, cum sacerdotio perstiterit canonicis, nō sine ingenuo quidem imperio pro conseruatione rerum * temporalibus fauentibus. Tali igitur ordine & honore in Episcopū consecratus multis virtutib⁹ enituit; sed vna in eo tanta claritate respendit, vt in morē solis, cætera sidera prænitentis, sua luce alias quodam modo minus redderet fulgentes. Dico autē beneficentiam, vel liberalitatē quæ in eo speciali quādā prærogatiua sic enituit, vt sine ambitione glorię inanis, gratiā consequeretur apud Deum & homines. Tanta enim in dando vltus est discretione vt numquam prodigus, semper autem liberalis inueniret. Immanes autē iacturas & sumptus infinitos parui pendebat, si aut * suæ, aut etiam augendæ ratio postularet. Equidem homo grauis, omnia facta sua certo iudicio ponderabat. Vnde si aliquando res maior & vtilior magna largitione acquirebatur, nequaquā manum cōtraixit. Causa igitur largitionis semper ei fuit aut vtilitas, aut necessitas, honestas, aut diuinæ remunerationis intuitus. Hinc autem super omnia intentus, omnium indigentium, vel qualibet calamitate oppressorum cōmune fuit cōsiliū. His tamen beneficentiæ modis plus afficiebatur, quorum memoriam posteris relinqueret.

leg. temporalium

*¶ Vt autem
Vrangia ratio
Hæc enim duo
monasteria a-
discant.*

DE